

AD LECTOREM.


Vel studio, supraque notis inscripta legendi  
Præscribit vox quæque modum, quem longa tenorem  
Exigit, utque brevis celeri se syllaba flatu  
Proripit accelerans, se subducitque legenti.

At te quis meritum curis pro talibus ornet  
Laudibus, aut dignos nam quæ tibi gratia plausus  
Ritè ferat, ejus studiis ingentibus olim  
Ordo Sacerdotum mores insistit avitos  
Sanctius, et cunctis orandi pensa diebus  
Noster inoffenso decurrit tramite Clerus?  
Nunc et Pontifices curis insignibus ipsos  
Obstrinxisse juvat, quorum solemnia sacra  
Auspice te retractat opus, propriasque Tiaræ,  
Te curante, vices cultu meliore tuentur.

PONTIFICALIS

PARS PRIMA.

DE CONFIRMANDIS.



**P**ONTIFEX infantes, pueros, vel alios sacri baptismatis unda perfusus, confirmare volens, paratus supra rochetum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus altari, et facie populo versis, baculum Pastoralem in sinistra tenens; populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut christianæ fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in ea incidant, conterantur.

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens matrimonium contrahendum, et dirimens jam contractum; quæ cognatio confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi.

Confirmandi deberent esse jejuni.

Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque Chrisma desiccet, vel extergatur.

Proinde, unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit.

Infantes per paternos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores ponant pedem suum super pedem dextrum patris sui. Et ideo, neque masculi feminis patris, neque feminæ masculis matris esse deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit, et stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit :

**S**PIRITUS sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. *r.* Amen.

Deinde signans se manu dextra a fronte ad pectus signo crucis, dicit :

*ŷ.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*r.* Qui fecit cælum et terram.

*ŷ.* Domine exaudi orationem meam.

*r.* Et clamor meus ad te veniat.

*ŷ.* Dominus vobiscum.

*r.* Et cum spiritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit :

OREMUS.

**O**MNIPOTENS sempiternus Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paracletum de cælis. *r.* Amen.

Spiritum sapientiæ, et intellectus. *r.* Amen.

Spiritum consilii, et fortitudinis. *r.* Amen.

Spiritum scientiæ, et pietatis. *r.* Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo **✠** eis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *r.* Amen.

Pontifex sedens super faldistorium prædictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Et Pontifex inquit sigillatim de

nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrium, vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dextræ manus Chrismate intincta, dicit :



N. Signo te signo cru ✠ cis : quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius; deinde prosequitur :

Et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. R. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla cædit, dicens : Pax tecum.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris, quod etiam in similibus servari debet.



Confir-ma hoc De - us, quod o-pe-ratus es in



no-bis a tem-plo san-cto tu-o quod est in



Jerusalem. V. Glori-a Patri. Euouae.

R. Sicut erat, etc. Deinde repetitur Antiphona. Confirma hoc Deus. Qua repetita, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit :

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Deinde junctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit :

OREMUS.

DEUS, qui Apóstolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores, cæteris fidelibus tradendum esse voluisti : respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum; et præsta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo sanctæ Crucis signavimus, idem Spiritus

sanctus in eis superveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre, et eodem Spiritu sancto vivis, et regnas Deus, in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Deinde dicit :


**E**cce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad confirmatos, faciens super eos signum crucis, dicit :

**B**ENE *✠* DICAT vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam. *R.* Amen.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patris et matris annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum, et Pater noster, et Ave Maria, quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.



## DE ORDINIBUS CONFERENDIS.



**Q**UANDO Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi,

sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.

Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegerint.

Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia (nisi forte ex causa studiorum absint); atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat. Quod et honorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, et superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi Communio maxime comprobant. Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initiatur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero

non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad sacros Ordines promoveantur: nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

Subdiaconi, et Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, et in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse; Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis, et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum (nisi aliud Episcopo videatur) ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur.

Qui pie, et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint, qui non modo in Diaconatu, ad minus annum integrum, nisi, ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pietate, et castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint expectari.

Illegitimi sine dispensatione Apostolica, ad sacros Ordines promoveri non possunt, ad minores tamen possunt ex dispensatione sui Episcopi ordinarii; neque etiam furiosi, amentes, servi, homicidæ, irregulares, insigni corporis vitio deformes, aut manci ordinarii possunt.

Examinentur de Ordine, in quo sunt constituti, et quando, et a quo illum receperunt.

Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus,

scientia, et ætate, ad sacros Ordines non promoveatur, nisi prius legitime constet eum, beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constituto quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extinguï, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.

Advertat diligenter Pontifex, cum Ordines confert, ne in expressione formarum, vel collatione instrumentorum ipsorum Ordinum deficiat; frequenter Pontificale respiciat, et mature procedat. Moneat ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimuntur, tangant. Secretas morose dicat, ut ordinati ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere: debent enim ex consuetudine concelebrare, et etiam verba consecrationis proferre.

Tempora ordinationum sunt: Sabbata in omnibus quatuor temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Passione, et Sabbatum sanctum.

Clericatus, seu prima Tonsura, quocumque die, hora, et loco conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis, et festivis diebus duplicibus ex præcepto, ubicumque; in mane tamen.

Ordinandi omnes debent in Ecclesia se præsentare, cum tonsura, habitu, et paramentis Ordini suo con-

venientibus, et candelis in manu accensis. Et cum a notario Episcopi nominati fuerint, respondeant, *Adsum*, et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis.

Advertat quoque Pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque Ordinem promovendus, illum admoneat, et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari.

In Sabbatis quatuor Temporum, in quibus fiunt ordinationes generales, Tonsuræ fieri debent post *Kyrie eléison*. Deinde, dicta prima Lectione, ordinantur Ostiarii. Post secundam Lectionem, Lectores. Post tertiam, Exorcistæ. Post quartam, Acolythy. Post quintam, Subdiaconi. Finita Epistola, Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus, vel infra Octavam Pentecostes, ante ultimum versum Sequentiæ, ordinantur Presbyteri.

Si ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur Lectio, Tonsuræ debent fieri immediate post Introitum. Omnes minores Ordines post *Kyrie eléison* Subdiaconi immediate post Collectam. Diaconi post Epistolam. Presbyteri ante ultimum versum Tractus.

Idem servetur, quodcumque dantur Ordines sacri extra tempora, ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum  $\gamma$ . Si inter Pentecosten et Septuagesimam, ordinantur ante  $\gamma$ . *Allelúia*. Et antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive supplicatio; cujus vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi; quibus lectis, dicit Pontifex, *Deo grátias*, et ad ordinationem procedit.

Si vero Sabbato sancto ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in Ordinario, usque ad Litanias inclusive, in quibus dicto; *Ut ómnibus fidélibus*, etc. surgit ab accubitu

Pontifex, et conversus ad ordinandos, eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur. Deinde perficiuntur Litaniae, et Pontifex facit Confessionem, et dicto Kyrie eléison, pro Missa, ordinat ad primam Tonsuram. Tum dicit, Glória in excélsis Deo, etc. quo dicto, ordinat ad quatuor minores Ordines. Deinde dicit Orationem ordinariam, cum alia pro ordinandis, quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum. Tum dicitur Epistola, et ea dicta, ordinat Diaconos. Dicitur deinde Allelúia, cum suo Versu, et prima pars Tractus, quibus dictis, ordinat Presbyteros, post quorum ordinationem dicitur Versus, Tractus, Evangelium, et alia, prout in Ordinario.

Quando autem Pontifex extra Missarum solemnias est promoturus aliquos ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines, sufficit quod habeat stolam supra rochetum, vel supra superpelliceum (si sit Regularis) et mitram simplicem. Cum autem est celebraturus pro sacris Ordinibus conferendis, habere debet sandalia, et omnia paramenta Pontificalia, et dicere Psalmum, *Quam dilécta*, etc.

Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrantur: si autem in alio dioecesis loco praesente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.

Cum igitur ordinationes faciendae sunt, per Sacristam, seu alium, ad quem spectat, praeparantur omnia, quae necessaria sunt pro Missa Pontificali. Et demum, cum tempus ordinationis instat, hora competenti, Pontifex cappa magna indutus, Capellano illam post eum deferente, venit ad Ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent, et accedens ante altare, genuflexus ibidem aliquandiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit, vel, si non sit in Ecclesia sua, ad faldistorium,

ad cornu Epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris temporis convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum, *Quam dilécta*, etc.

Pontifex sic paratus, baculum Pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum ministris Confessionem. Interim cantatur a choro Introitus, et Kyrie eléison. Finita Confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et textum Evangelii ad sinistram; incensat altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu Epistolae, ubi, deposita mitra, et versa facie ad altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum, et Kyrie eléison; quibus dictis, sedet cum mitra, donec perficiatur a choro ultimum Kyrie eléison. Quo finito, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi praeparatum accedit, et in illo sedet, renibus altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes ordinandos, dicens: *Accédant omnes, qui ordinandi sunt.*

Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronae dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui, qui forte non sint confirmati; quia non debent ad ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et, si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis, et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos, et confirmat, prout habetur supra folio primo; vel si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicat per unum ex suis, sub his verbis:

**R**EVERENDISSIMUS in Christo pater, et dominus, dominus N. Dei, et Apostolicae sedis gratia Episcopus N. sub excommunicationis poena praecipit, et mandat omnibus, et singulis, pro suscipiendis Ordinibus hic praesentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut

alias a jure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena diocesi oriundus, sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere. Et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

DE CLERICO FACIENDO.

**C**LERICUS fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora, et loco.

Pro Clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpellicem super brachium sinistrum, et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim, et sigillatim per notarium, et quilibet respondet. Adsum.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit :

- v.* Sit nomen Domini benedictum.
- r.* Ex hoc nunc et usque in sæculum.
- v.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.
- r.* Qui fecit cælum et terram.

**O**REMUS, fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum, pro his famulis suis, qui ad deponendum comas caput suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedi-

mento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat; ut, sicut immutantur in vultibus, ita dextra manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni cæcitate spiritali et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui vivit, et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Post hæc, sedente Pontifice, schola inchoat et prosequitur Antiphonam, et Psalmum.



Tu es Do-mi-ne qui re-sti-tu-es hæ-re di-



ta-tem me-am mi-hi. Ps. Conserva me. . . . .



E u o u a e.

PSALMUS 15.

**C**ONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te: \* dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: \* mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: \* postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: \* nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona. Tu es Domine.